Tertio dubitat: nñquid capitulum possit visitare monasteria monialium exempta que visitat episcopus auctoritate apostolica. ut in cle. ii. de sta. reg. lap. ab. c. consiluit. q. no. Et ita refert in discessu sibi Jo. an. mouetur q. capitulum non succedit in his que competunt episcopo iure speciali. unde non succedit in potestate cognoscendi de feudo. ut notat in. c. veru. de fo. c. pe. Et idem sentit fed. c. xlii. xxx. Multi tamen cœtrarum tenuerunt. dicentes: q. si episcopus h. absoluere ut delegatus: q. potestas translat ad capitulum. p. c. unicus de ma. et obe. li. vi. qd loquitur in distincione panorum. tam plus placet op. j.

Quarto dubitat: nñquid capitulum possit sede vacante facere statuta distingencia tota diocesim. Panorum. fm fed. c. xlii. xvii. dicit q. sic. dependet enim hoc a iurisdictione: ut in. c. fi. de consti. li. vi. in q. quidem iurisdictione capitulum succedit. Et talia statuta durant etiam in tempus futuri episcopi: q. de natura statuti est ut sit perpetuus. licet extinguat potestas

statuentis: ut in. c. fi. de offi. leg. Episcopus tamē potest illa statuta revocare: q. no potest capitulum statuere in iudicium futuri episcopi sicut nec predecessor in iudicium successoris: q. par in pare no habet imperium. de elec. innotuit.

Quinto dubitat: nñquid possit sede vacante capitulum dispensare in casibus in quibus permittit episcopus. Panorum. fm fed. c. xlii. xl. p. cludit q. sic: na dispensione dependet a iurisdictione.

Sexto dubitat: Quid si episcopus h. collationem cum alio: vel aliqui debet requirens silium episcopi in aliquo actu. nñquid capitulum succedit. Panorum. p. cludit q. no p. c. unicus. ne se. va. li. vi.

Septimo: nñquid capitulum succedit in iurisdictione quam h. episcopus ex præstitudine. puta episcopus habet interesse alicui electioni ex præstitudine. Ho. in c. scriptu. de elec. sentit q. no. sed collectarius tenet prætarium. q. eadem rō debet esse in additamento que in principali qd satis placet panorum. ex quo illa iurisdictione ppetit episcopus. ut episcopus. Sed idem panorum. in. c. illa. d. elec. tenet opinionem Ho. dices q. hoc cōter tenet a doc.

Octavo: nñquid succedit in privilegiis indulgentiis dignitati episcopali. ut in. c. fi. c. p. or. ibi positis in glo. de primi. li. vi. Et p. cludit q. no. qd h. Jo. an. p. in dubitato. na. paulegati no d. excedere p. sona paulegati. ut in. c. sane. de p. ui.

Nono: nñquid capitulum possit dare indulgentias. de quibus in. c. cum ex eo. de pe. et re. Si tenet q. sint iurisdictionis: quod est communius. tunc dubitari potest: q. videtur actus voluntarius et non necessarius. Posset tamen tenet fm panorum. q. possit: q. cuz intra dicat q. capitulum succedit in iurisdictione. et non distinguat inter cōtentiosam et voluntariam. debet intelligi in utræcum.

Decimo: nñquid capitulum succedit in potestate doctorandi. ubi episcopo hec potestas ppetit: nec aliqd in paulegio cauetur de capitulo. Et in hoc panorum. p. cludit q. aut episcopus habet hanc potestatem ex paulegio speciali. Et nūc non transit in capitulum. p. superius dicta. Aut habet a iure communi. fm opinione quæ sentit Ho. ut notat glo. in cle. ii. de magi. Et tunc capitulo succedit.

Si archiepiscop. absoluat exercitatos ab episcopo in casu pcello. non valet absoluacio: q. est a non suo iudice: extra de offi. or. pastoralis. Sed si p. appellatione causa defertur ad eum. poterit absoluere ita tamē q. non nisi vocatis partibus. et cognito de appellatione. extra de ap. romana li. vi.

Episcopus existens in aliena diocesi absoluere non potest in his que requirunt cause cognitionem: quia neq. sedere pro tribunali potest. ix. q. iij. episcopum. Secus si non requirat cause cognitionem: quia hic pertinet ad voluntariam iurisdictionem. Episcopi autem expulsi possunt exercere iurisdictionem in aliena diocesi: petitam tamē licentia ab episcopo diocesis et si non obtenta. ita q. subditu non expulsores vel eorum factores: seu consiliarii ultra duas dietas a fine sue diocesis non trahantur: ut in cle. q. suis. de foro compe. et sic possunt absoluere.

Querit glo. in. c. nouit. d. offi. le. de notabili. q. b

# Absolutio. I.

que facit multum ad predicta. **U**nus legatus: vel alius ordinarius existens extra territorium suum possit excommunicare. absoluere. et causas delegare et similia. **P**anor. ibi dicit quod mens gloriosum est: ut existens extra territorium suum non possit excommunicare. nec absoluere. nec alia que exigunt cause cognitionem explicare. **S**ed proferre beneficia. et causas delegare et reliqua que sunt iurisdictionis exercere potest. **E**t ista est bona doctrina. **L**epra prima ps probat per l. fi. ff. de offi. p. vi. sed a vo in. l. iij. ff. de offi. proco. **I**nno respectu absolutionis dat hanc limitationem. scilicet quod si existens in territorio deprehendit se errasse in excommunicando poterit absoluere. quod ista absolutio fiet sine cause cognitione. **A**liam limitationem respectu excommunicationis ponit **H**o. di. quod in notariis potest excommunicare subditum extra territorium; quia notaria non exigunt cause cognitionem. ut in c. euidentia. de accu. **E**t sicut illa que expeditur sine cause cognitione. et non pro tribunali. fulminabit. alioante si vellet contentiose procedere. non teneret processus etiam si non exciperetur. quia iurisdictionis inheret territorio. etiam si haberet consensum illius iudicis non valet nisi ptes consentiant. quia partes in iure non possunt trahi extra territorium. ut notat glo. in. c. litigantes. de offi. or. in. vi. **F**allit tamen in casu. d. cle. quis.

**E**piscopus potest absoluere a sententia lata per suum archidiaconum plebium. vel alium sub eo iurisdictionem habentem. sed non debet sine conscientia illius. et congrua satisfactione. de offi. or. cuz ab ecclesiariis. et c. ad reprimendam. **S**i tamen absolvit. valet. **E**t est ratio quia episcopus est iudex ordinarius tam laicorum quam clericorum sui episcopatus. et in autenico de defen. c. in principio.

**Q**ui de uno episcopatu domicilium transvertit ad aliud potest per secundum episcopum absoluere excommunicatione iuri quam incurrerat in dioecesi priore. sicut etiam a peccato ibi commisso. et hoc siue tale ius sit ius commune. siue synodale vel huiusmodi. **E**t hoc nisi pape reserueret casus. **E**t id est tenet **R**i. in. iij. di. xviiij. ar. ix.

**E**t unus a sententia excommunicationis lata per statutum archiepiscopi seu episcopi possit proprius episcopus excommunicati absoluere. **R**ii. **P**anor. in. c. ex frequentibus. de insti. dicit quod sic. satisfactione tamen premissa. unde non est necesse ire pro absolutione ad illius qui statutum edidit. et hoc probatur expresse per tex. ibi sic inducendo. nam solus archiepiscopus ibi excommunicatione protulerat. et tamen papa mandat omnibus suffraganeis. ut illam non relaxent. nisi satisfactione premissa. ergo possunt absoluere. licet ipsi non excommunicauerint sed eorum superior. **E**t hoc tenet **J**o. an. et archiam non debet esse maioris potentie canon inferioris quam pape. sed a sententia canonis pape potest quilibet episcopus. ipsum absoluere sibi subditum si papa sibi non reservauit absolutionem. ergo fortius idem dicendum in sententia canonis inferioris. **I**dem tenet **P**anor. in. c. graue de prebe. ubi extendit dictum casum non solum ad episcopos suffraganeos. sed etiam ad alios epis. ut possint

absoluere subditos suos qui in aliena dioecesi incurerunt sententiā excommunicationis per statutum archiepiscopi vel legati. et huiusmodi. **E**t dat exemplum. **P**one statutum episcopi Benensis fulminat excommunicationem contra intrantes monasteria monialium. quidam forensis incidit in illam excommunicationem. nūquid poterit absoluere suo episcopo. **E**t concludit quod sic. quod supra allegata. **S**ed a sententia hominis non potest quis absoluere. nisi ab excommunicatore vel eius successore in officio vel superiore finit. **R**i. in. iij. **E**t hoc nisi in articulo mortis. vel si sit iusto impedimento detenus ne possit in brevi accedere ad excommunicatum. tunc enim finit. **A**r. f. potest absoluere cum iniunctione ut se presentet quodcumque comode poterit ei qui debet absoluere impedimento sublatum.

**T**uando episcopus committit alicui absolutionem de omni excommunicatione. non propter hoc potest ille absoluere excommunicatum ab eo cuius absolutionem non commisisset in speciali. forte quia excommunicatus erat propter damnum illatum episcopo vel huiusmodi. extra de regu. iur. **I**n generali. li. vi. hoc intellige quādū est de virtute verborum et in foro contentio. nam si in foro conscientie aliud constaret de intentione conferētis auctoritatē quod ille intendit omnia etiam si non expressisset aliquid. in generali possessione intelligenter spolia. hec archi. f.

**T**uendū si papa mandat alicui quod aliquem excommunicet. nūquid postea poterit eum absoluere? **D**istingue. si committit ei cause cognitionem potest absoluere. ar. xxi. dist. inferior. **S**i vero papa iam diffinierat negocium et mandet excommunicari non potest absoluere. quia non ei iurisdictionis sed purum ministerium delegat. de of. del. c. fi.

**T**apa si salutat aliquem excommunicatum vel participat eius. siue scienter siue ignorantiter. non propter hoc ille est absolvitus. ut in cle. si sumimus. de sen. excō. hoc tamē intellige in dubio. quia si constaret quod papa ex tali salutatio vellet eum habere p absoluto. pro certo esset absolvitus eo quia papa non subiicit iuri positino. cum sit supra ius. ut in c. posuit. de cōce. p. et p sequens nec etiam subicitur forme iuris communis. **S**ecundus de episcopo quod ex sola intentione non potest hoc facere. quod subiicit forme iuris communis. ut notat **P**anor. in. c. cum desideres. de sentē. excō. **S**ecundus in absolutione a suspensione. vel interdicto. ut notat singulariter **P**anor. in. c. fi. de ma. ptra. ptra inter ecclesie. ubi dicit quod cum in absolutione ab excommunicatione requiratur certa forma. non obstante satisfactione requirit absolutio. **S**ecundus dicit **J**o. an. in absolutione a suspensione vel relaratione interdicti. **S**i enim ista ferant ad tempus. non requirit post tempus absolutio. **R**atio diversitas est. quia in istis casibus ultimis non requirit certa forma in absolutione. vñ satis est quod pset de mete iudicis.

**T**uendū autem dicendum in papa si excommunicavit ad tempus. puta donec satisficeris. nūquid requiratur absolutio post satisfactionem. dubium facit: quia papa non subiicit forme. sed sola voluntate potest absoluere a sententia excommunicationis.

tionis. ut in dicta cle. si sumimus. Domin⁹ Anto. credit qđ in dubio requirat absolutio. quia alio nō apparente non videt papam velle vti potestate absoluta sed ordinaria. Et ita debet impendi ab solutio fm iuris ordinē. Et d̄ p̄tate vapevide glo. in cle. vñica. de iuñ. eccl. sup v. infectis. vbi singulariter dicit qđ papa circa ea que sūt de iure politio habet potestatē illa reuocandi. extuc. et hec glo. non innuenit alibi fm zab. et cum glo. concordat Pau. dicens ex hoc qđ illegitimus potest legitimari per papam; sic qđ habeatur pro legitimo ex tunc. i. retrotrahat. etiam quo ad honores seculares. Et nota glo. notabiles in. c. non debet. de cōsang. et affi. et glo. in. d. v. infectis qđ tanta est auto ritas pape qđ potest tollere constitutionē ratione effectus preteriti. adeo qđ si aliquis fuisse ratione alicuius constitutōnis excōmunicatus et papa dicteret. qđ tollit dictam constitutionē et vult qđ habeatur p. non facta. qđ talis excōmunicatus non indiget absolutione. Si tamē papa simpliciter reuocaret constitutionē seu statutum non censere reuocatus effectus iam causatus per statutum. nec videtur approbatus actus gestus cōtra antiquū statutum. Et ideo excōmunicatus ex antiqua le ge indiget absolutionē etiam post legem reuocātam. nulli in reuocatione dicitur qđ antiqua lex de beat haberi p. infecta. tunc em̄ omnis effectus antiquae legis est sublatus. Ita vt excōmunicat⁹ nō indiget absolutione. quod potest facere papa ex plenitudine potestatis. Secus de prelatis inferioribus. eo qđ assumūtur in partem sollicitudinis. Et hoc facit qđ si quis excōmunicatus esset p. con stitutionē episcopi. dato qđ dictus episcopus tolle ret dictam cōstitutionē et dicteret qđ vult eam haberi pro non facta. ille tamē excōmunicatus non esset absolutus. Et ex predictis potes elicere multas theorecas qđ faciūt ad multa.

**T**rum autē papa cōmunicādo cuž excōmunicato incident in excōmunicatoꝝ. Glo. in. c. nulli. de sen. excō. cludit qđ non. Et ratio est manife sta. quia hoc vinculū excōmunicatioꝝ strabitur a iure positino. quo papa nō ligatur. vt in. c. posuit. de p̄ces. pre. Panor. tamē in. c. cum desideres de sen. ex. addit notabiliter ad illā glo. qđ papa pec cat cōmunicādo cum excōicato. quād nō subest causa cōmunicādi. nam tunc papa non solum facit p̄tra ius positiuū. sed etiam p̄tra diuinū. vt ha betur in euangelio. Qui non vult se corriger. ex cōmunicet et ppter hoc debet haberi tanq̄ ethnicius et publicanus. vnde papa cum sit subiect⁹ legi diuine. xxv. q. j. sunt quidam. peccat. nō habendo eū tanq̄ publicanū et infidele.

**T**Si per papā fuit cōfirmata aliqua excōmunicatioꝝ sententia quā inferior tuit. nūquid inferior potest absoluere. Dic fm panor. in. c. ex freqn tibus. de insi. qđ aut ista sententia cōfirmata p. papam. est sententia homis aut statuti. Si hominis distingue. quia si cōfirmata est ex certa scientia. nullus inferior potest sine mandato pape absoluere nisi esset certū qđ per falsam suggestionē fuerit cōfirmatio impetrata. extra de confir. vti. c. ii. Si vō

simpliciter p̄firms. et sine cause cognitioꝝ. tūc inferioꝝ potest. sed o calu. qđ fuit lata per statutū. tunc cōfirmatio non tollit potestatē alijs inferioribus absoluēdi. qđ statutum inferioris cōfirma tum per papam. nō debet esse maioris robors qđ statutum pape. Sed a sententia lata per statutum pape possunt episcopi absoluere. per. c. nuper. de sen. excō. ergo fortius a sententia lata p. statutū cō firmatum p. papā. qđ nota.

**T**Quero qđ sententia dicatur cōfirmata ex cer ta scientia tc. Dic fm doc. in. c. ex frequētibus. de insi. et in. c. qđ diversitatē de cōcē. pre. et de p̄fir. vti. per totum qđ duplex est p̄firms. s. ex certa scientia. t. in forma cōmuni. tūc autē dicitur ex certa sci entia. qđ in cōfirmatione inseritur totus tenor rei p̄firms; vel qđ papa vtitur istis verbis. ex certa scientia; vel similibus; vel qđ papa cōfirmat ali quid qđ vidit; vt de confir. vti. venerabilis. vt te net Inno. in. c. i. de transac. Tunc autē dicitur cō firmare in forma cōmuni qđ simpliciter cōfirmat aliter non instructus de negocio tc. tunc em̄ verba debent intelligi. p̄prie. s. cōditionaliter; qđ papa p̄sumit ignorare que in facto p̄sistunt. vt in. c. i. de consti. li. vi.

**T**Quid autē operē cōfirmatio ex certa scientia? Dic fm glo. in dicto. c. qđ. qđ. opaf. p̄mo qđ talis res fit maioris auctis. scđo qđ si illa res fuit minus valida. fit valida. tertio qđ ppter autoritatē p̄firms. nullus inferior potest de illa cognoscere. Qđ autē cōfirmatio est facta in forma cōmuni parū; vel nihil operaf. imo ex hoc nō tollit cognitione in dicis inferioris. nec talis p̄firms creat aliquod ius nouum. vt in iurib⁹ pall. Ad quid ergo impe tratur talis cōfirmatio? Dic ad hoc qđ solet magl timeri qđ specialiter p̄hibet qđ qđ generaliter. Et ex predictis solūt⁹ notabilis questio de p̄mīlegijs ordinis minorū. nā a se. re. Bonifacio papa. viii. cōcessa fuerunt quedam p̄mīlegia que dicti ordini frates eximebant a solutione quarte canonice portiōis debite ecclesie parochiali rōne sepultu re; qđ p̄mīlegia p. cle. dudū de sepul. fuerunt reuocata. sed post dictam cle. eadem p̄mīlegia ab Eugenio papa prius examinata et approbata fuerūt ex certa scientia. queritur modo. an dicta cōfirmatio. d. pape faciat valere dicta p̄mīlegia concessa per papā Bonifaciū? Dic qđ imo valet dicta cōfirmatio Eugenij. p̄o quo. c. i. de transac. et. c. quo tiens. de pac. que volunt qđ qđ papa cōfirmat ali quid ex certa scientia. vt in calu nostro. talis cōfirmatio validat nullum; vñ inualidū. imo talis cōfirmatio h̄z vim innovatiōis.

**T**Absolutio ex causa falsa non valet fm Inno. et Ho. qđ sic iudex non intendit absoluere; vtpu ta si absoluendus dicat se satis fecisse; vel iniuriam sibi remissam fuisse. vel aliquid tale qđ non sit ve ruz; al's absolutio siue iusta siue iniusta tenet quo ad ecclesiam militantem. ar. extra de regu. in. om̄is res. Nota tamen pro declaratione predictoꝝ Panor. in. c. ex parte. de offi. or. vbi dicit qđ excōmunicatio. et absolutio sumunt vires ex intentōne excōmunicatoris. ad hoc glo. in. c. ii. de testi. co.

# Absolutio. I.

**E**t ideo ubi excommunicator intendebat oīno er-  
cōmunicare tenet excommunicatio. licet si iniusta.  
Idem in absolutione: quia si absoluens intende-  
bat oīno absoluere etiā si expressa essent falsa et in-  
iusta tenet absolutione. ut in. c. venerabilibus. s.  
vbi. de sen. excō. li. vi.

**A**bsoluti debet excommunicatus qui se offert ad  
iusticiam. vñ obstante appellatioē partis aduerso  
debet tamē recipi ante absolutionē sufficiens cau-  
tio ab eo q̄ iuri parebit. de ap. qua fronte. q̄ si ex-  
communicatus impetrat absolutionē sciente aduersario.  
et non p̄ tradicente. nec aliquid petente. Ipse  
aduersarius nō potest postmodū conqueri. q̄ re-  
misſe videat. de re iudi. q̄ uis.

**E**t iñiutus potest quis absoluī ab excommunicatiōne. sicut et iñiutus excommunicari. imo ma-  
nente cōtumacia. potest quis discrete remittere ex-  
communicatiōne iuste latā. si videat saluti eius ex-  
pedire fm. Cho. in. iiiij. dis. xvij. Sed Ri. in. iiiij.  
di. ea. pcedit hoc de sententiā hominis. Sed de sen-  
tentia iuris dicit q̄ absoluī non potest iñiutus: al-  
legat. xxiiij. q. iiij. nec quisq. Et hoc est rationabile  
fm. eum. quia cum voluntarie fecerit illud. cui exco-  
municatio est ānera. videat aliquo modo ex volū-  
tate sua excommunicatus. Et ideo sine sua volunta-  
te. et requisitiōne non potest absoluī. Hoc tamē di-  
ctum Ri. potest intelligi de iusticia. non autē de  
necessitate.

**C**um quis dubitat se esse excommunicatū. si su-  
per hoc habet conscientiā scrupulosam nimis. depo-  
nat eam ad cōsilium boni viri quā si nolit vel non  
possit deponere; vel habeat ad hoc pbabilem opi-  
nionez faciat se absoluī ad cautelam. extra de sen.  
excō. inquisitione.

**S**i excommunicatus dicat causam excoicatiōis  
fuisse dubiam; vel nullā; sine fassam. et petit absolu-  
ui. ad cautelam absoluēt. cum iuratoria cautione.  
nisi excommunicator; vel is. p̄ quo excommunicatio  
lata est infra. viij. dies pbauerit de causa. de sen.  
excō. solet. li. vi.

**E**xcommunicator: cognoscens errorem sue exco-  
municatiōis debet reuocare sine absoluere. nō ob-  
stante appellatioē aduersarij. sed si de errore du-  
bitat potest absoluere accepta cautiōe q̄ iuri pa-  
reat. sed caueat index. ne errore singat in p̄iudiciū  
alterius ptis. de sen. ex. sacro.

**L**igatus pluribus sententijs; vel una et diuer-  
sis causis. si vult vere absoluī debet exprimere om-  
ne sententiā et causam. et sic una absolutione sufficit  
ad plures excoications tollendas. al's non tene-  
ret absolutione: q̄ per surreptionē obtenta eset. ex-  
de sen. excō. officij. Et p̄ declaratiōe hui⁹ materie  
dic fm. Ri. vbi s. q̄ aut ille est excommunicatus a  
iure aut a iudice. Si a iudice: aut ab uno aut a plu-  
ribus. Si a pluribus. nisi absoluāt a quolibet. nō  
est simpliciter absoluēt nisi absoluāt a superiorē  
eorum. Si ab uno: aut una excommunicatiōe: aut  
pluribus. Si pluribus. non est simpliciter absolu-  
tus. nisi expriāt causa cuiuslibet excoicationis.  
Si una. aut ille qui absoluīt. sue excommunicatiōis  
facet causas aliquas fraudulēter: et alias exprimit

et talis absolutione est inanis. de sentē. excō. cum pro  
causa. Aut eas tacet ignoranter. q̄ tunc non reco-  
lit. et tunc credit q̄ si absoluens haber intentionē  
simpliciter relaxandi excoicatiōem quam tulit in  
eum simpliciter est absoluēt. Si autē non inter-  
dit eum absoluere ab excommunicatiōe. nisi p̄ com-  
parationē ad causas quas exprimit. credit q̄ ab-  
solutus non est. nisi forte sint tales cause: q̄ vna sine  
alia nō mereat excoicatiōe.

**I**n articulo mortis potest absoluī excommunicatus a simplici sacerdote. ar. de pe. dist. i. quē pe-  
nitent. et de sen. excō. non dubium. Sed si non fue-  
rit absoluēt. Si tamen apparuerint in eo signa  
contritionis poterit absoluī post mortem ab illo  
qui eum sanum absoluere poterat. de sentē. excō.  
a nobis. el. ii. Et valet talis absolutione. vt sepeliāt i  
loco sacro; vel vt sepultus non exhumetur. sed vt  
oretur pro eo. Idem et fortius dicendum est q̄ in  
articulo mortis quilibet simplex sacerdos fm. In-  
no. in. c. nuper. de senten. excō. potest absoluere et  
quocunq; peccato quātūcunq; enormi. dīsimodo  
non sit ānēxa censura. Et casu quo talis evaderet  
periculū mortis. non est amplius necesse q̄ se pre-  
sentet episcopo. quia solum reperitur cautus: vt  
quis teneatur post evasionē periculi se presentare  
superioribus nisi in censura excommunicatiōis. vt  
in. c. eos. de sentē. excō. li. vi. Sis tamen cautus.  
quia q̄ si potest haberi copia episcopi comode. nō  
debet se simplex sacerdos etiam in articulo morti  
intromittere de casibus reservatis fm. Inno. Di-  
militer nec in hoc articulo absoluas excommunicatiōes  
p̄ pcessum curie et Birtina quam habes in si.  
huius operis. nisi cum modificatione ibi posita.  
aliter absoluēt effet excommunicatus excommunicatiōe papali: cum multis alijs penis. Articulus  
mortis intelligit non solum de piculo mortis p̄  
pter infirmitatē. sed etiā si sit in periculo quocunq;  
vicino morti. puta quia timet hostem vel p̄edone  
vel crudelitē hominis potentis. vel si eset trāsi-  
turus per loca piculosa. fm. Inno. et Ho. Idem  
dic de eo qui tenetur in vinculis. Hoc tamē casu  
vel simili inūget absoluēt excommunicato. q̄ im-  
pedimentō cessante: se illi representet a quo fuerat ab-  
soluēndus. mandatū eius sup hoc humiliter re-  
cepturus. de sen. excō. ea noscit.

**A**n autē transfrētare volens possit absoluī a  
simplici sacerdote: Dic fm. Lan. et Ber. q̄ aut  
iminet periculū mortis. puta naufragium. et tunc  
licet p̄fiteri. aut non iminet piculum. Et tunc nō  
licet absoluere ab excommunicatiōne vel alio pecca-  
to. Non enī intrando mare semp iminet piculum  
mortis. qd̄ si sic eset. nullus trāsfrētaret.

**S**ed quid de obessis: Potest dici fm. Ho. q̄  
aut obessus impugnat cum machinis. balistis et  
armis. et tunc potest absoluī. Si vñ nō impugnat  
sed stant aduersarij in campis alone. et non p̄t  
absoluī. Et intelligit de iuste pugnante: quia si ob-  
essus se iuste defendet: tanq; rebellis. absoluī  
non posset. hec Dir. lib. i. ti. xv. Addit tamen q̄ si  
iste iuste obessus iuste penitet: et secure exire nō  
potest. q̄ ex quo iminet sibi piculum mortis absoluī

potest. dummodo nihil faciat quod sibi imputari possit.

**T**Quid autem de pregnante. dum est pro parte. an absolui possit? Dic per predicta quod si possit haberet comode licentia episcopi. illa haberet debet. sin autem consideranda est qualitas huius mulieris fuit docto. an videlicet sit fortis aperitionis vel debilis. et an sit solita parere cum magnis doloribus vel parvis. Et fuit hoc iudicabit discretus iudex. an absolui debeat vel ne. Sed tamen non obstantibus predictis. potest dici. quod talis mulier in tali casu possit absoluiri: quod accidit in puncto quod non puenit in anno. Posset enim accidere quod haberet duos fetus in utero. ant maioris quantitatis vel huiusmodi. licet alius multotiens sine doloribus peperisset: ut sepe accidit de facto.

**T**An autem laico in articulo mortis liceat conferri? R. de hoc habes duas glossas singulares. scilicet in c. pastoralis. de officiis. et in c. a nobis. cl. ii. de sen. ex. quas Panorum in dicto. c. a nobis. approbat quo ad absolutionem ab excommunicatione. licet quo ad peccata securus sit. Et de quo dicto Panorum facit magnus festum. Et dicit quod ille glossa sunt magni effectus: quia heres non expellit amplius aabsolutione ire ad papam vel ad eum a quo defunctus vivens erat absoluendus. Et nota hoc: quia est magne utilitatis.

Et glo. in dicto. c. a nobis. et Panorum. vocant istam absolutionem factam a laico. in hoc casu. remissionem potius quam absolutionem. Idem tenet Urs. f. qui vocat huiusmodi absolutionem reconciliationem. Predicta tamen vera. ubi desit copia sacerdotum.

**T**An autem liceat laico tempore necessitatibus conferre sacramentum eucharistie. ut puta: decidit quis et non repit post hyberem. numquid possit laicus capere eucharistia de ecclesia et exhibere infirmo? quidam ut refert Inno. dicunt quod sic. sed collect. post H. firmare videbatur necum laico. licet istud sacramentum attinere: sed nec etiam diacono. De diacono tamen vide. j. Diaconus.

**T**Quid autem de extrema unctione? Et licet quidam dicant quod laicus possit illa conferre tempore necessitatibus cotiter tamen hoc non tenet.

**A**bsolutio. ii. f. percussa. Tientium clericos. iniustientes manus violentas in clericum; religiosum masculum vel feminam; vel conuersum; vel conuersam sunt excommunicati: ut in c. si quis suadente. xvij. q. iiiij. et in c. non dubium. de sen. exco. dum tamē sint religionis approbante fuit H. Idem dic de peccatore nouicium religionis. approbante per c. religioso. de sente. exco. li. vij.

**T**Quid autem de conuersis ecclesiarum secularium? Hosti. in dicto. c. non dubium. distinguit. quod aut isti conuersi retinent sibi aliquam proprietatem. et tunc non gaudent hoc privilegio. Aut dedicarunt se et sua et incedunt tonsorati vel mutarunt habitum interessendo bonis diuinis. et tales gaudent hoc privilegio. Idem Panorum. ibi dicens quod pro hoc optimo facit. c. ut p[ro]p[ri]etatis de p[er]misso. ubi oblati qui non obtulerunt se et sua: non gaudent privilegio illo: quibus se obtulerunt. immo plus dicit ibi Panorum. quod ta-

les etiam non gaudent privilegio fori: sed debet concordari coram indice seculari. quod nihil hic interuenit quod eos debeat eximere a foro seculari. Et largo modo sint p[ro]p[ri]etatis eccl[esi]asticae. Et refert se panorum ad nota. per eum in c. ij. de fo. co. p[ro]p[ri]e. ubi dicit quod solenniter pertinentes non gaudent privilegio fori. nec etiam heremite. Et glo. in c. qui vere. xvi. q. i. et glo. in c. aliud ij. q. i. dicunt p[er]trarium. Ratio est fuit eum: quod hic non interuenit aliquis actus quod habeat istos eximere a iurisdictione impatoris: quod est duplex. scilicet receptio ordinis: et p[ro]p[ri]etatis ad aliquam de religionibus approbationis: ut in c. fi. de re. do. Sicut enim tales ex vetero matris processerunt laici. Ita et in eodem statu censi sunt. Idem tenet Lau. et Jo. de ligna. Sed opinione glo. sequitur Inno. et Archi. Et dicit panorum. quod opinio Lau. et Jo. de lig. videtur verior. licet alia equior. immo plausibiliter dicit Panorum. quod ieiunati et incendiunt discalciati et portant capucinum non debet gaudere privilegio: quod non sunt clerici. quia ordinem non recipiunt: nec p[ro]ficiunt tria substantialia. immo nullum solum putat eos peccare mortaliter. cum veniant contra p[ro]stitutionem dicto. c. fi. Hec panorum. Et si predicti non gaudent privilegio fori. minime gaudebunt privilegio canonis. cum primus difficulter p[ro]p[ri]etatis p[ro]p[ri]etatis.

**T**Quid autem de fratribus tercii ordinis sancti Francisci? Dic quod gaudent privilegio tam fori quam canonis. saltem ex privilegio Sixti. quod incipit. Sacrosancta.

**T**An autem legati possunt absoluere excommunicatos. per injectione manuum violenta in clericum? R. tres sunt species legatorum: put nota per Panorum. et glo. in c. excommunicatis. de officiis. le. Quicunque dicuntur de latere. et hi sunt cardinales. Secundi sunt communis p[ro]p[ri]etatis. Terci vero dicuntur legati ratione dignitatis vel locales seu natii: quod nascuntur in illa dignitate eo ipso quod p[ro]mouentur in illa. Primi legati postquam egrediuntur e[st]ib[us]. donec in e[st]ib[us] revertantur beneficiis absolutionis quibuscumque possunt impendere per injectione manuum violenta in clericum. siue tales sunt de p[ro]p[ri]etate sibi decreta quod extra terram subditis et extraneis. Et etiam a quacunq[ue] iniuria etiam quo ad mutilationem seu interfectionem clericorum. per c. ad eminentem de sen. ex. quod loquuntur indistincte. et hoc tenet H. ibi. que opinio cotiter approbat. put dicit Panorum. ibidem hoc intellige: nisi sit renovatus nam si esset renovatus non posset aliquid de legatione attингere: quod incōtinenter desinit esse legatus. immo panorum. in dicto. c. excommunicatis. dicit quod tunc nec insignia legationis debet exercere. Item spec. t. de lega. dicit quod in loco ubi est papa non debet legatus aliunde veniens exercere in aliquo dignitatem suaz. Et fuit aliquos hoc casu nec absoluere. Nec etiam debet ut in insigniis: nec populo benedicere. Intellige solenniter. Et Panorum. dicit quod sepe fuit interrogatus. numquid legatus destinatus ad certam p[ro]p[ri]etatem possit exercere et ut in insigniis legationis in itinere: antequam ingredia p[ro]p[ri]etatem sibi decretam: et quod possit facit. l. i. et ii. ff. de officiis. p[ro]consul. ubi dicitur. quod p[ro]consul potest extra p[ro]p[ri]etatem sibi decretam iurisdictionem voluntariam exercere: et ut in insigniis. Secus ergo contenciosam: et sic du-

legati a latore p[ro]p[ri]etatis

## Absolutio.ij.

sunt extra terminos sue legationis non poterunt ea que requirunt cause cognitione. Legati vero pape equipant proconsulibz et presidibz; ut in.c.ij.de offi.le.li.vi. Limita tamen quod dictum est de absolutione ppter injectionem manu: non extendendum ad alias absolutions reseruatas pape nisi hoc eis fuerit concessum in speciali: quia in istis exorbitantibus et phibitis non sit extensio de vno causa ad alium etiam p majoritate rationis: ut in.c.qd translatione.de offi.le. Secundi vero legati. scz rone psonae possunt absoluere subditos existentes i provincia. Item secundo extra provinciam non possunt extraneos absoluere. Et iste casus est clarus. Itz est tertius casus clar: qd aliunde venientes s. extraneos non possunt absoluere etia in provincia. Sunt aliqui casus dubii. Primus an possunt absoluere subditos extra provinciam. Panor. in dicto.c. excommunicatis. dicit communiter doc. tenere qd extra provinciam neminem possint absoluere. et Joh. an. dicit ita seruari de facto. Secundus casus dubius est. nūquid isti possint subditos extra provinciam absoluere cum licentia indicis provincie illius vel dioecesis? Et videt qd sic. quia cotentio sam iurisdictione quis exercere potest in subditos extra territorium suum cum licentia indicis illius territorij. Hosti. dicit hoc esse equum. Sed quia hec potestas datur legatis istis cum limitatione non videt qd debeat isti legati excedere formam eis prefixa: per dictum c. excommunicatis. de quo dicto Panor. ibi facit magnu festum: dicens. nota singulariter hoc dictum qd potest collata aliqui in certo loco ex pulegio non potest exerceri etia in subditos in alio loco. Iste cōsentiat domin' territorij. secus in iurisdictione cōperente de iure cōmuni. Tercius casus dubius est. nūquid legatus possit absoluere suos subditos: qd incurruunt alibi excommunicatione? Hosti. videt tenere qd non. perter. in dicto.c. excommunicatis. dum dicit aliunde contingat accedere. Quidam tamen tenet atrarium. qd putat Panor. verius ut quemadmodum potest subditos delinquentes extra territorium punire: ut in.c. cum contingat. de fo. cōpe. Ita et absoluere facit: quia de delicto pmissio extra provinciam potest p̄laus sacerdos absoluere parochianum suum. Et sic dicto.c. excommunicatis. Intelligit de non subditis venientibus aliunde. Quartus casus dubius. Nūquid si non subditi veniret ad provinciam legati et incurruerent ibi excommunicationem. an possint absoluiri a legato? Ho. tenet qd sic. quia isti non dicuntur aliunde accedere: cum non veniant excommunicati. Et ad hoc facit notabile dictum abbatis in dicto.c. excommunicatis. ar. dicti ter. qd scholaris veniens ad studium excommunicatus non potest absoluiri ab episcopo loci illius studij. Iz esset casus a quo potuisset absoluiri a p̄lio episcopo. secus si incurrisset ibi excommunicationem. Et quo posset notabiliter elici qd potestas que contrahitur ratione domicilij non extendit ad prius commissa. Quod tamē dictum non admittit generaliter Panor. Et bñ dicit panor. qd hoc dictum non admittit generaliter. Nam atrarium dictum est supra. Absolutio.i.

¶ An autē legatus possit absoluere excommunicatum a se in sua provinciam postq; egressus est. provinciam: Glo. in.c. nouit. de offi.le. dicit qd non. quia excludit provinciam privatus est dignitate. ff. de offi.ps. li.ij. et statim expirat iurisdictio. Hoc verū fī Spe. quādo erit prouincia et animo non redundi. Et hoc ubi hec absolutio requireret cause cognitione. secus si non requirit cause cognitiones et in foro penitentiali poterit absoluere.

¶ An autē legati respectu psonae possint absoluere excommunicatos. p enormi iniuria? Rū. Archif. dat regulam qd p solum summū pontificē vñ legatum de latere tales possunt absoluiri qd iniuria est enormissima: puta qd est pcessum ad homicidium vñ mutilationē mēbri. Panor. tamē in.c. quod de his. de sen. ex. per tex. illum qui non distinguunt infē enormē vel mediocrem; satis innuit qd a qualibet iniuria legatus absoluere potest etia p homicidio nam dictū generale: generaliter debet intelligi. ac etiam eadē ratione: quia loquitur generaliter de legatis intelligimus de vñtrogz: ad hoc dictum. c. qd translatione: et. c. excommunicatis. que loquitur indistincte. Terciū vero legati neminem possunt absoluere: nec in provincia nec extra: nec subditū nec extraneū. Ratio est: qd legatus ratione loci est pretius. unde si isti possent absoluere excommunicatos. clerici illo:ū locoz pderent priuilegii qd habent ex.c. si quis. xvij. q. viij. quia nunq; pcessores eorum tenerent ire ad curiam. cum haberent superiorem qui eos absoluueret. Hec tamē limita i istis et in pcedentibz: ut pcedant in casibus reseruatis pape: sed in casibus in quibz episcopi locorū possunt absoluere: etiam isti legati absoluere poterūt cum sint ibi ordinarij. Specie*o* iniuria et iuris

¶ Querit quorū sunt species iniurie? Rū. fīm. Jo. an. et Panor. in.c. peruenit. de sen. ex. qd sunt tres quo ad ppositum nostrum. scz leuis. mediocris. et enormis. Pro leui iniuria quilibet episcopus potest absoluere iure suo. auctoritate dicti. c. peruenit. Pro mediocri vero non potest episcopus absoluere nisi priuilegiatos. Pro iniuria vero enormi episcopus regulariter non absoluiri nisi in necessitate: et ubi species sibi cōmittit. Et que dicat iniuria leuis: qd mediocris: et que enormis: potest dici fīm astēn. Leuis est. si quis ponat manū super clericum malo animo: vel accipiat euz p vestes vel p habenas vel p manū: vel brachium. Et hoc intelligi potest ubi superior vel par est is qui huiusmodi intulit. Id est Hosti. Leuis etiam iniuria fīm Panor. est iudicada arbitrio boni viri ex varijs circumstantijs psonarum: locorū et temporū. Si enim clericu ministranti solēniter in altari. publice manus quis incicerit leuiter. non indicaretur leuis que alio leuis esset. Et quedam est leuis contra puerum: vel in dorso vel cum manu vel baculo in occulto: qd gravis effet contra senem: vel in capite: aut facie: vel cuna pugno: vel cum ense: vel in manifesto. Quedam etiam iniurie sunt quasi medie inf leues et graves: quarū etia qualitas ex circumstantijs varijs ē pensanda. Grauius autē dicitur fīm Ho. Monal. et Bod. qd vuln? qd est illatū requirit medicamē

leuis

medicamē

gravis

cirrigie: vel emplastrorum et huiusmodi. Et ad predicta vide tex. aureum. Insti. de iniuriis. S. atrox. ubi dicit Atrox iniuria extimatur; vel ex facto veluti si quis ab aliquo vulneratus fuerit vel fustibus cesus. Vel ex loco: veluti si cui in theatro vel in foro vel in prospectu portorum iniuria facta sit. Vel ex persona veluti si magistratus iniuria passus sit: vel si senatori ab humili persona iniuria facta sit. Aut parviti patronoq; fiat a liberis vel libertis. Nonunq; etiam locum vulneris atrocem iniuriam facit: veluti si in oculo quis percussus fuerit. hec ibi. Et glo. in v. in oculo. dicit: vel ore. Et panor. in. c. cum illorū. de sentē. excō. elicit hanc regulam singularem q; excessus notoriū dicitur enormis ratione notorietatis. nam percussus in platea vel theatro seu in ecclesia dicit atrociter iniuriatus. per dictū. S. atrox. Et ideo tene menti q; epus a talib; iniuriis notoriis absoluere nō potest: quia nō possunt dicileyes: ex quo sunt notorie. Astēt. etiam facit regulā q; vbi ex tali iniectione manū in clericū scandalum. tunc l; als sit leuis iniuria efficitur grauis et sic episcopus absoluere non poterit et de hoc videlicet casus in dicto c. cum illorū. Idem potest dici de iniuria facta in clauistro: vel cimiterio eadem rōne. Et sic quelibet iniuria als leuis: ibi facta reputab; grauis. Idem dicendum fīm. Ho. quoties inferior et subditus in superiorē manus iniecerit. Idem de monacho: q; absente abbate percussit vicarium abbatis. Idem dicitur similiib;. Ho. tamē circa predicta dat regulam q; iudicium de leui iniuria: vel enormi est totū arbitrio epī cōmittēdū. Lauseat tñ sibi de arbitrio tempato.

**T**hū sunt casus fīm. Hosti. in quib; iniiciens manus in clericos citra sedem apostolicas potest absoluī. Primū est in articulo mortis. xvij. q. iiiij. si quis tamē iniungendū est ei q; si euaserit sedi apostolice se represente: vel ei qui possit eum absoluere. mandatū eius super hoc recepturū. extra eo. c. quod de his. Et idem in casib; sequentib; remoto impediamento. p̄ter q; in puerō. vt extra de sen. excō. decetero. et. c. ea noscī. et. c. q; quis. et. c. fi. Et si cessante impedimentō non se p̄sentat: incidit in eandē sententiā. extra de sen. ex. eos. li. vi. Et intellige in eadem. scz specie: nō numero. et erit eiusdem nature si enī primā. Optūta si erat ab homine; erit ab homine. Si a iure ei ita a iure: cuz suismet appendicib; et conditionib;.

**Q**uid autē si sedes aplīca vacat. an talis absolvitus poterit differre donec fuerit p̄sumum de pastore? Rū. Panor. in dicto. c. qd̄ d̄ his. dicit q; nō q; sede vacante semp est penitentiā qui genti vires pape. et sic tenet se p̄sentare penitentiario. als incurrit eandem sententiam excoicationis. Querit etiam Panor. de notabili. q; stōde et quotidiana ī dicto. c. decetero. vt ille tex. et siles habeat locum in excounicationē lata ob alia causam q; p̄ter iniectionē manus vt non valens ire ad papam possit absoluī ab episcopo? Et dicit Inno. tenere q; sic. Et addit Panor. q; hoc hodie p̄baē clare in dicto c. eos. Idē tenet Se. ibi. Idem Jo. an. et videlicet cōmuniis opinio. Liceat idē panor. videat tenere con-

trariū ī. d. c. q; quis. Fallit tamē ī casib; ī quib; nullus absoluere potest nisi ī articulo mortis. de quib; diceat. j. in tractatu excoicationū. Et in hoc p̄fessores aperiant oculos.

**T**hū autē legati dum sunt ī via possint absoluere huiusmodi qui habent se apostolico p̄spectui p̄sentare. Et an huiusmodi p̄sentatio possit fieri p̄ procuratorem et multa alia: vide. j. excounicationē xxvij. Secundū casus est qn̄ q; haberimū inimicicias capitales: vel al's iustas excusatōes p̄pter q; non potest se sedi aplīce p̄sentare. vt. c. decetero. et. c. ea noscī. et. c. qd̄ de his. eo. ti. Et panor. in dicto. c. de cetero. dicit q; non ponderat quis fuerit cā inimicicie. Hatis est em̄ hunc habere iustum causaz nō cūdi; qd̄ nota. Et nota aliud dictū singulare eiusdem ī. d. c. qd̄ de his. q; legitimū impedimentū nō cūdi est. si nō possit subire labore ē cūdi ad curiā. Et ex hoc tex. no. q; detentū infirmitate. liez nō sit in piculo mortis. potest absoluī ab inferiore. Sarz est em̄ hunc teneri tali impedimentoō q; non possit ire. Et ideo dicit Hir. si quis detinere ē terciana vel quartana vel podagra vel huiusmodi. ita q; non possit ire. poterit absoluī ab epo. Et de huiusmodi excusatōe stabilit̄ arbitrio boni viri. ar. de offi. dele. de causis. Clericus est ī ostiario qui p̄ceptu officij clericū nō graniter lesit. de sen. et. si vō. el. j. Et noīla ex hoc tex. in ver. nō grauiter: q; necesse est dare iniuriā media inter leuem et grauem. Nā vides hic. q; si iste ostiarius grauiter percussisset. non potuisset absoluī nisi a solo papa. Si autem percussisset leuiter potuisset absoluī ab episcopo iure suo. non solum ip̄e h̄de casu sed etiā quilibet aliis. Et ideo si iste absoluī tanq; persona p̄mlegiata. necesse est dicere q; ultra iniuriā leue aliquid p̄misserit. et sic dabatur iniuria mediocris a qua dicitur absoluētur iste et alie persona p̄mlegiate. vt dictū ē. Quartus ī officiali. Sed p̄ declaratiōe huius casus. sci endū q; iste casus habet ī. d. c. si vō. S. officialis. et p̄tinet duos casus. Primus est. Officialis p̄missione manus ī clericū. nō potest sine manda- to romani pontificis beneficiiū absoluī. p̄meri. quia nulli laico sup clericū tanta datur potestas. It bic est primus casus. Sequit. n̄lī forte turbā arcendo irruētē. nō ex deliberatiōe sed fortuito casu clericū ledat. et bic est secundus. Et q; ad primū casum p̄cludit Panor. ibi. q; officialis laicus iniiciē manus ī clericū deliberate nō potest ab epo absoluī. q; videt delictū nō leue. cū nō solū īferat iniuriā. imo usurpat sibi iurisdictiōē ī clericū. Et sic tam ex tex. q; ex dictis panor. habes q; iste officialis iniiciē manus deliberate ī clericū quātūcūq; leuiter. malo aio indicat iniuria grauis. et sic nullo modo ab episcopo poterit absoluī. Sequit secundus casus. ibi. n̄lī forte turbā arcēdo. Et glo. ibi. ī vō. casu fortuito. dicit tunc em̄ nō imputat. et sic p̄ glo. q; cōiter approbat iste officialis arcendo turbā. nō ex deliberatiōe. sed casu fortuito clericū ledēdo nō ē excoicat. In p̄mo ār casu. l; sit excoicat. nō tñ p̄t absoluī ab epo. Et p̄ p̄s necesse est dicere. q; iste officialis non p̄putat

## Absolutio. ii.

inter psonas priuilegiatas. immo est peioris peditio-  
nis q̄ alie psonae priuate etiā nō priuilegiata q̄ sal-  
tem a leui iniuria possunt absolui iure cō a suis  
epis. Iste aut̄ officialis. nō dico ab iniuria medio-  
cri: verūtia nec a leui absolui pōt. Quid ḡ dicem⁹  
cū oēs tā canoniste q̄ sumiste ponat h̄c officiale  
inter psonas priuilegiatas: p̄dicta multū vrgent. &  
cōsultus cū aliquib⁹ pitis necesse ē distinguere de  
isto officiali. Nā officialis q̄stū ad p̄positū ptinet.  
vno mō accipit p̄ indicē vel appitor fīm glo. ibi:  
qui appitor fīm grāmaticos dicit ille q̄ cogit veni-  
re reos ad iudicium. Et hoc mō sumēdo officiale.  
dico q̄ talis nō est psona priuilegiata: immo nec etiā  
a leui iniuria pōt absolui ab epo: qđ est notandū.  
**A**llio mō pōt sumi officialis. put ad p̄positū perti-  
net p̄ deputato ad arcendū turbā: & sic ad rem li-  
cītā. et hoc casu iste officialis inter psonas priuile-  
giatas p̄putab̄. & sic etiā a mediocri iniuria pote-  
rit absolui ab epo: sicut & ostiarius. immo fortius cū  
difficil⁹ euitet p̄cussions arcēs turbam q̄ ostia-  
rius. Et h̄c intellectū sentit glo. in. c. si q̄s. xvij. q.  
iiiij. Et hec nota: q̄ noua. Quint⁹ si sit mulier: nec  
distingui debet vtrū sit fortis vel debilis: vidua:  
vel maritata cuiuscūq̄ status sit fīm **P**anor. in. c.  
mulieres. de sen. exco. vbi de hoc tex. Et ratio: q̄a  
piculorum est mulierib⁹ itinerare: & imiscere se ce-  
tib⁹ virōi. Et hoc habet laudabilis consuetudo  
quā papa scit et tolerat. nec distingui dīz circa eas  
inter atrocē & nō atrocē iniuria fīm v̄v. Sextus si  
sit senex aut̄ valitudinari⁹: extra eo. c. ea noscitur.  
Qui aut̄ dicant̄ senes. **J**o. d. sansonia dieit q̄ quo  
ad generatiōz legalē: & quo ad potestatē adoptādi  
dicit senex maior. lx. annis. ff. de adop. l. si paterfa.  
**A**llio mō dicit senex quo ad excusationē munerū  
p̄sonalium: maior. lxx. annis. L. qui eta. l. fi. li. x. iun-  
cta. l. ij. f. fi. ff. de decu. ergo maior. lxx. annis excu-  
sabit ab onerib⁹ & muneribus: etiam excusabit ab  
onere itineris: etiā si sit fortis ad ambulandū p-  
